HIERONYMI CRASSI VTINENSIS DOCTORIS CHIRVRGI

TRACTATVS

De Tumoribus præter naturam,
De Solutione continui,
De Vlceribus.



Venetiis, apud Iordanum Ziletum.
M. D. LXII.

FRANCISCO TVRRIO,
VIRO OMNI VIRTVTE
ORNATISSIMO,
APVD VENETAM REMPVB.
CAESAREO ORATORI,
PATRONO SVO SINGVLARI,

Hieronymus Crassus Doct. Chirurgus
S. P. D.



VANTO fructu sim priuatus mor te clarissimi uiri NICOLAI TVR RII, dum uixit, Gradiscæ præfecti, consanguinei tui FRANCISCE TVRRI heros amplissime, ego ipse scio; & ii existimare possunt, qui diuinam propemodum hominis beneficentiam, & humanitatem, studiumq;, & charitatem, qua me, meosq; constantissimè est prosecutus, aliquando cognouerunt. nam quicquid potest quisquam ex alterius humanitate ad suas rationes accommodatum, & conducibile expectare, id totum illo superstite, & incolumi polliceri mihi ipse non dubitabam. tantum autem in eo erat omnes bonos iuuandi ab ipsa natura insitum desiderium; tanta animi ad bene merendum alacritas; ut secum omnes præclarè actum putarent, quicunque ei in

famulatu eſſe potuiſſent, & illam benignitatem, quali non alius quiſpiam ante hos annos multos gloriari potuit, experiri. Cuius rei optimus mihi quidem ipſe teſtis ſum, nondum penè ex Ephœbis egreſſus ab eo in fidem humaniſſime receptus; quem optimum (ut tum mihi uidebatur) rerum mearum ſtatum amplis quibuſcunque conditionibus non mutaſſem. Sed fata mihi hanc felicitatem inuiderunt, nam cum ego haud ita multo poſt, ut medicæ facultati, atque ei potiſſimum, quam (quòd in manuum operatione conſiſtit) χειρουργικὴν Græci uocant, operam nauarem, Patauium profectus fuiſſem, grauis admodum; cum minus timebam, huiuſce interitus ad me nuntius allatus eſt; quo quantum fuerim commotus, facilius cogitare poſſum animo, quàm uerbis explicare, quis eſt enim adeo ferreus, ut in communi iactura etiam ſi nihil præcipui, ac ſingularis ſtudii interceſſerit, non uehementer commoueatur? dum tantum Chriſtianæ Reipub. præſidii, tantum opis hunc attuliſſe extremis penè temporibus, quantum à nullo alio forſitan adhuc allatum fuit, cogitabit. Tu ferociſſimorum hoſtium, & nomini Chriſtiano pluſquam dici queat, infeſtorum, furorem atque impetum cõpreſſiſti. Tu bellicoſiſſimarum nationum uires armis, & ſapientia non ſemel labefactaſti. O uirum omni laude digniſſimum. nihil eſt enim, quod aut à natura, aut à uirtute, aut ab ipſa etiam humanarum rerum moderatrice, & arbitra fortuna expectari

ctari

ctari possit, quod ille non fuerit cumulatissimè consecutus; imagines autem, & res à maioribus suis præclarissimè gestas, quas ita plerique admirari solent, quasi ex iis potissimum posterorum splendor, & gloria pendeat, ita æstimabat animo, ut res externas, & aduentitias agnosceret, in quibus nihil esset, quod suũ posset appellare, ea sola, quæ ex propriæ uirtutis splendore gloria manabat, delectatus. O fallaces igitur spes meas, ò incertam, & instabilem humanarum rerum conditionem. Sed ineptus ego, qui iam coalitam temporis beneficio, & obductam uulneris acerbissimi cicatricem refricare non desinam. parcius igitur in præsentia, tum quia non esse arbitror huius loci, ac temporis per latissimum eius laudum campum expatiari (offeret sese mihi, ut spero, alio tempore alia cõmodior occasio) tum etiam quia vir egregiis facinoribus clarissimus prædicatione mea, aut ullo honore uerborum non indiget. In hoc meo tanto mœrore FRANCISCE TVRRI hoc solatio utor, quòd te habeam præstanti prudentia uirum, ita ut bonorum, uirtutum etiam ipsarum consanguinei tui, à te semper loco patris habiti, imitatorem, & hæredem. Nam si liberos decet (ut grauissimus auctor Isocrates ad Dæmonicũ scripsit) ut facultatum, sic patris quoque amicorũ, addam etiam clientum hæredes esse; meo quodam iure uideor facturus, si à te in patroni, & domini olim mei fortunis successore locum meum in tua fide, & clientela, mihi temporum iniuria adhuc interceptum

terceptum in præsentia repetam; id quod à me antehac quidem agi debuit, egissemq; dubio procul, ni me subrusticus quidam pudor (fatendum est enim) desiderio ardentem fuisset remoratus; sed tempestiuè adhuc satis (ut arbitror) fiet, atque hoc potissimum tempore, cum præsidio auctoritatis, & dignitatis tuæ res meas maximè egere cognosco. Nã cum annis superioribus de ratione uulnerum, atque ulcerum curandorum satis multa, & ea quidẽ scitu non indigna, ex ueterum præscripto longis sanè uigiliis mihi adnotauerim, ut si quando in sauciatum, aut grauiter affectum aliquod corpus incidissem, haberem statim parata remedia, quæ ad cõciliandam ægris uitam salutemq; forent necessaria; cumq; rem ad uerba contulissem; atq; ex ipso usu, qui est, ut ait Cicero, optimus rerum magister, ad hanc rem maximè apposita deprehendissem, nihil mihi longius fuit, quàm ut ea cũ Doctissimo Viro D. ALOYSIO LVISINO, dii boni, qua bonitate prædito, & quo in uniuersa re medica iudicio, communicarem; qui, ut optima est in amicum fide, omnia diligentissimè fuit perscrutatus, & ad ueterum scriptorum normam accuratissimè expendit; nec ita multo post, quotidiano ferè conuicio efflagitare cœpit, ut ea in communem studiosorum utilitatem ederem in uulgus. Ego uerò tam & si nihil minus quàm de editione cogitabam, animo tamen diu, noctuq; retractare cœpi, an hoc nomine possem summam in te meam obseruantiam, &

pieta-


pietatem omnibus testatam relinquere; maiorem enim hoc tempore, quæ est fortunæ meæ imbecillitas, nullam mihi dari posse facultatem intelligebam. Statui igitur tandem hæc omnia in tres Commentarios referre, quorum unum de Tumoribus præter naturam; alterum de Solutione unitatis, (ita enim medici loquuntur) siue de cruentis vulneribus; tertium de Vlceribus inscripsi, & nomini tuo dicata omnibus communicare. quæ ego nunc tibi uolens lubensq; do, dico, addico, nō ex eo mehercules, quòd alicui tibi fore usui existimem, quanquam satis constat, homini ingenuo nunquam impedimento fuisse bonarum artiū cognitionem, sed quòd iis potius tuæ auctoritatis, qua tantum uales, quantum omnes norunt, munimento opus sit; nam satis scio, hos meos Commentariolos non esse (ut est in prouerbio) albæ gallinæ filios, ut per se possint maleuolorum obtrectationes effugere, quos ad oblatrandum usqueadeò propensos nouimus; ut cum tandem non habeant, quod contemnant, nequid tamen non damnent, Momi personam induti sandalium ipsum Veneris culpare, cum Venerem non possint, soleant; sed tuo fretus adiumento facilè possum istorū ineptias contemnere. Suscipe igitur Vir Clarissime clientis tui, qui te omni obseruantia, & obsequio semper est paratus colere, & uenerari, patrocinium: amplissimæ auctoritatis tuæ clypeum prætende, & quāquam in ardua ista legatione distentus, semper

cum

cum opera, tum animo es multo magis, ne tamen causam meam desertam patiare; te enim pro me aduersus hos rabulas stante, nihil est quòd quempiam deinceps timere debeam. quod si erit factũ, ut te, quæ tua est humanitas, facturum esse confido, & me omni cura liberaueris, & ipse maximum uigiliarum mearum fructum assecutum me esse arbitrabor. Vale.

HIERONYMI CRASSI VTINENSIS DOCT. CHIRVRGI

DE TVMORIBVS PRAETER NATVRAM.



RTEM quam ueteres, à manuum operatione Chirurgiam appellarunt, cum duplici constare differētia grauiſsimus author Aegineta tradiderit, altera qua oſsis uitia tractat; altera qua carni ſeruit, nos in præſentia aggreſsi ſecundam differentiam exordiri, cogitauimus optimum fore, ut, ſi in hac tractatione initium fecerimus, ab ea parte inchoemus, qua maximè uerſari Chirurgos cognouerimus. Sed cum frequenter occurrat, ut aliquæ corporis partes à naturali habitu recedant, extenta ſcilicet, attentaq; eatenus cute, quatenns proportione confluentis humoris aſſurrexerint, quarum affectiones, tumores, atque ob actionum læſionem, præter naturam appellantur, conſentaneum ſanè nobis uiſum eſt, ut cœpto iam ante de fractis oſsibus exordio,

B præ-

præſentem modo ſermonem proſequamur. At cum multæ ſint in Chirurgica ſpeculatione tumorum præter naturam differentiæ, nos communiores, & eas quidem, quas uſui maximè neceſſarias eſſe cognouerimus (reliquas obiter currentes) tractabimus. Vnde cum in uniuerſum ſint quatuor in animante humores, nos proſequentes inſtitutum, oſtendemus, & quatuor eſſe tumorum præter naturam differentias primas, eſſeq; prætere a multas alias per earum complicationes. Quatuor enim ſunt ſimplices, ut cum dicimus phlegmonen, id eſt inflammationem, eriſypelas, ſeu ignem ſacrum, præterea œdema, id eſt inflationem, ſcirrhum, ſeu duritiem. Fiunt autem multo plures, cum ad inuicem inter ſeſe complicantur, ut quando phlegmoni miſcetur eriſypelas, dicimus phlegmonen eriſypelatoden, nomine quidem ab humore ſuperabundante ſuſcepto, cognomine autem ab altero. Vbi uero neutrum ſuperabundarit, ibi uitium phlegmones, eriſypelatosq; medium nominatur. At & reliquas differentias ſingulis miſcentes conficimus, atque hac communi regula procedimus, ita ut

uſ-

usque uiginti octo euadant complicationes. Quum igitur in hac numeri summa multæ oriantur differentiæ, scire oportet à quo humore unumquodque, et quomodo proficisci, medici contendant. Præterea quibusnã ex causis ortum trahant, & demum qua methodo curentur. Ex Galeno itaque præcipuè monstrandum est, phlegmonen conflari à sanguinis confluxu per uenas, & arterias, ad reliquas minores, & ex his ad minimas, quæ ob rationem quam cum pilorum genere habent ob exiguitatem capillares quibusdam appellantur. At ubi in his sufficienter est con culcatus, nec adhuc sistitur (id enim superpositæ partes semper efficiunt) pars quidem per earum ora, pars per tunicas ad exteriora loca, circumquaque dilatationibus illarum adiacentia, transcolatur, quæ sanè omnia cũ inania sint, ut abunde satis ostendit ipse Galenus in Anatomicis administrationibus, facile ab huiuscemodi fluxione implentur, incalescuntq; omni ex parte, atque funduntur, interius nanque à fluxione tum excalefiunt, tum distenduntur, & diuelluntur, exterius non modo calefiunt, sed etiam premuntur, ac de-

Caus.

grauantur, atque hoc modo fit morbus, quē phlegmonen appellari diximus, quæ ut Galenus ait, musculi inæqualis est intemperies. Fit uero erisypelas quando pars à biliosa fluxione impleta fuerit, quam idem author 7. de Simplicibus uocat exactum erisypelas, ut facile est legere apud eum capite de coriandro, & alibi plerunque. Gignitur mox œdema ex pituitosa substantia, scirrhus autem ex sanguinis fæce, quam Hipp. nominare nigram solet. Cæterum causas medicis excogitatum est, (atque id quidem recte) esse duplices intrinsecam alteram, quam Galenus 2. ad Glauconem fluxionem uocat; alteram recentem, ac manifestam, quæ ante præcesserit, quam omnes medici iuniores, usitato uocabulo, procatarcticam, id est præincipientem appellant. itaque cum duplices sint causæ, à quibus huiuscemodi tumores nonnaturales oriuntur, nos clarioris doctrinæ gratia declarantes has causas, pro exemplo habebimus inflammationem, quæ peculiariter phlegmone dicitur, & multis semper accidit. Fit igitur inflammatio, quando etiam non præcedente procatarctica causa aliqua, sanguis præ

copia,

uel uitio, nunc ex toto fertur corpore, nunc ex quapiam particula, uel omnibus in aliam aliquam particulam copiosius incumbit, sic ut à uasis nequeat contineri, exciditque aliquid roris modo in ampla, ut diximus, partium quæ intercedunt spatia. At inflammatio si à causa aliena prouenerit, & quidem contraria, credendum id in causa fuisse, uel quia membrum plus iusto calidum est, uel quia dolore affectum sit. Fit enim calidius quàm par sit, uel propter immodicum motum uel nimium ex sole, aut igni teporem, uel acre medicamentum; dolore uero afficitur, uel propter intemperiem, uulnus, contusionem, distorsionem, tensionem, obstructionem quandam, uel spiritum flatuosum; intemperies sanè fit modo ab extrinsecus occurrentibus, modo ex succis, qui in ipso habentur corpore, ex succis quidem quum id uitiosos succos, qui facultate sint dissimili congessit; Ab extrinsecus autem occursantibus, modo ab aliquo uenenatorum animalium, modo ex pharmaco, quod uehementer excalefaciat, aut refrigeret, nonnunquam ex ambiente. His hoc pacto causarum rationibus absolutis,

Curatio.

lutis, quibus tumorum differentias conflari proposueramus, reliquum modo est, ut curandi uiam commonstremus, id quod commode fiet habita prius temporum necessaria cognitione; hæc enim terminatur principio, augmento, statu, & declinatione: principio quidem, quum primum pars sanguinea materia repletur: augmento, quando affluxus aliunde cessat, & qui in parte continetur putrescere incipit, caloremq; præternaturam inuehit, effusioq;, & flatus gignitur, particulaq; magis, quàm prius intenditur: statu seu uigore, ubi pus conflatur, & (iuxta Hippocratis aphorismum) maximi dolores adsunt: declinatione, cum id denique quod fluxit digestum est, & moles est diminuta. Cum igitur his cognitio temporum claudatur terminis, hoc quidem modo, id est his habitis non erit difficile iuxta hæc tempora medicamentorũ applicationes accommodare, cum per hæc ipsa, uniuersa, ut ait Galenus, intentio dirigatur. Ideo in principiis astringentium usu curationem complemus, in augmentis addita digerente medicina, & astringente remissa, quod & idem author uoluit 3. Simplicium

cap. 9. ubi inquit, Cæterum ad aſcenſus, augmentaq; inflammationum chamæmelo roſaceum præfertur, quum hæc tepida caliditate cum leui aſtrictione indigeant, ſtatus curationem perficimus ex æquo mixtis medicinis, quam eandem opinionem ſcripſit Galenus primo de componendis emplaſtris per genera dum dixit, Vigente phlegmone pares inuicem eſſe conuenit facultates, niſi uehemens dolor, pharmacum leniens requirat. Declinationi ſatisfacimus neglecta aſtringente, ſolaq; digerente adhibita, quod & idem confirmauit 9. de ſimplicibus. Vbi autem iam ſanguis (inquit ipſe) non fluit, aſtringentibus medicinis digerentia adiungere conuenit, & ſenſim ad ipſa ſola tranſire, & hoc cap. de lapidibus. Nobis igitur ſatis cognita eſt, & patet ratio temporum, & inſtitutio intentionis; reliquum modo eſt, ut curationem tumorum non differamus. Supponatur igitur cuipiam particulæ calidam fluxionem, ſanguinis ſcilicet, cōtingere citra manifeſtam cauſam, à qua præpoſita, antedictaq; inflammatio producitur, contingatq; particulam ipſam ob multitudinem diſtendi, quaſi adeo

ut conuelli uideatur; huic ut præſtò ſimus af fluxui confugimus ad illũ Hippocratis aphoriſmum. Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio; euacuamus itaque ſanguinem ipſum reuulſione per ſectionem communium uenarum.. talis nanque ſectio eò quia in diuerſum reuellit, indubitatum auxilium affert. Sed in hac re conſulenda ætas ægrotantis exiſtit, quæ ſi puerilis fuerit, à ſermone excipietur, quum ante quartumdecimum annum Galenus nunquam uenam ſecuerit, ut conſtat 4. methodi, & 11. necnon in libello de curandi ratione per uenæ ſectionem, quomodo ergo (dicet quis) tute in auertendo ſanguine in pueris geres? quum non liceat ſecta uena corpus eorum euacuare? Nos planè experientia docti eſſe omnino ipſorum reſolubilem ætatem, loco euacuationis per ſectionem uenæ, utimur trahentibus ſanguinis curſum ad oppoſita membra reliquis ingeniis, ut potè frictionibus, ligaturis, ſcarificationibus, cæterum ſecus facimus in florenti ætate, & ideò maxime cum inter principes mittendi ſanguinis ſcopos hanc ætatem Galenus annumerauerit, tantum ſanguinis in

his euacuamus, quantum pro uirium ratione, & magnitudine morbi uiſum nobis fuerit, æſtimatis etiam unà temporum conditionibus; nam per has, & remiſsiores ſanguinis euacuationes, & intenſiores fiunt, ueris enim tempore euacuamus quidem minime timentes reſolutiones corporum, morſus humorum, inæqualitates perturbantes facultates, quibus maximè torqueri corpora contingit. Vnde ſine dubio, his benè expenſis, in caſu præſenti ſanguinem, ſi res ſuaſerit, mittimus, ſeruata nimirum locorum affinitate, ut dextra manu laborante, dexter malleolus, ſiue talus, ſiniſtra ſiniſter incidatur. Et uice uerſa dextro crure affecto ſubalaris uena dextræ manus, ſiniſtro ſiniſtræ, nempè rectitudine ſeruata ſecetur. Si uero ſubalaris non apparuerit mediam ſecabimus, quam & communem, & nigram appellamus. Vtimur, & quandoq; purgatione per idoneum pharmacum, applicantes ſupra dolentem particulam. (iuxta prædictorum temporum cognitionem) topicas medicinas, principio enim aſtringimus, refrigeramusq;, uel appoſita ſpongia, oxicrato infuſa, uel cerato ex aqua admodum frigi-

da cuius compositionem tradit Gal. 10. methodi cap. 9. Vtimur etiam emplastro, si non admodum doleat, quod constat ex sem peruiuo, & corticibus punicorum malorum in uino decoctis, & rhu, & farina ordei; & hoc quidem ut repellat quod influit, atque id quod continetur exiccet, & circumiacentia membra corroboret. At cum dolore admodum magno incidente fluxu, in præsenti occasione sufficit doloris uehementiam lenire cum aliquo ex his, quæ ob id, quia dolorem sedant, Medicis appellata sunt anodina, cuius triplex apud Galenum septimo pharmacorum in dolentibus inflammationibus usus existit. primus enim, inquit, est, qui medicamentis abunde humidis simul, & modice calidis administratur; alter paulo crassioribus, & siccantioribus constat; tertius relaxantibus nominatis, cæterum Galenus iuxta causas distinguentes inflammationes curatiuam intentionem accommodat, atque à fluxione factas inflammationes, dum dolore afficiuntur, curat non primo medicamentorum usu, nec tertio, sed secundo tanquam habiliore, & pro exemplo ponit mixturam ex

uino

uino dulci, ſeu ſapa,quæ ex muſto fit. Nã, ut inquit tertio de compoſitione medicamentorum ſecundum loca, multo magis hæc, quam dulcia uina dolorem ſedat. Præterea oleo curat roſaceo, & pauca cæra in utroque liquata, quam nos applicantes excipimus (& quidem ſecundum eius præceptum) lana pingui, quæ oeſypi plurimum habeat, æſtate quidem frigidam, hyeme tepidam; Ad quod etiam ualde utile experti ſumus celebre illud, quod diachalciteos, ſeu diapalma, uel phœnicinum nominat idem author, cuius compoſitionem tradit primo de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, atque illud remollientes optimo roſaceo ſupraponimus, lenimusq; facile dolorem, qui dolor in magnis inflammationibus pulſatiuus ſentitur, inquit enim 14. methodi, & in libello de tumoribus præter naturam, dolorem pulſatiuum eſſe phlegmonis magni ſymptoma proprium. Fit enim pulſationis ſenſus, ſeu pulſatilis dolor, quando arteriæ mouentur, & ab adiacentibus particulis premuntur; Qua ratione ex percutiente, & percuſſo in particulis uehementi inflammatione tentatis, dolor qui-

dem geminatur; Nam arteria percutit ambientes particulas, & ob illius plagam ægrotus dolorem sentit, & ab iisdem arteria mutuo repercutitur, unde fit, ut alter dolor oriatur; cæterum si in hac curandi ratione, puris copia superauerit medicamenta; nos non rupta omni mora, quemadmodum multi faciunt, succurrimus, secantes cutem ferro ad puris eruptionem, uel extrahentes saniem apposito caustico aliquo, sed digerentes curamus intro genitam saniem, quæ si præ sua, & loci crassitie, necnon multitudine posse digeri non uideatur, tunc manu admouentes ferrum, cutem ad myrti folium secamus, euacuantes subluuiem pro tumoris ratione, & uirtutis robore; postea penicillum, seu cuneolum ex stuppa uel bombice, uel linteo paratum, & oui albumine, madefactum imponimus, obturamusq; cutem ferro diuisam, superponentes deinde uice platismatis, stuppam uel duplicatum linteum eodem oui albumine infusum, atque circumuoluta fascia ligantes curamus, in prima operis uisitatione. Secunda uero soluimus, & ulcus abstergimus hydromelle, uel uino, abhorrentes res humidas

midas, necnon pingues, cum ab his reddi pu
tridum ulcus, ubique Galenus, & Hippocra-
tis tradiderint, ſiccari enim inquiunt ulcus
omne deſiderat, excepto tamen contuſo, ut
ſuo loco apertè oſtendemus; præterea para-
mus penicillum linteo, & excerpto abſtergen
te, ſiccanteq́; aliquo medicamine cutis diui-
ſionem obturamus, & ſuperimponimus ſple
nium, deinde phœnicino Galeni, uel ſimili ali
quo confectum quodlibet remollientes pro
paſsionum differentia, uel roſaceo, uel uete-
ri oleo; Nam inquit idem author 13. metho-
di, quòd in iis uitare oportet durorum em-
plaſtrorum uſum; quippe quæ particulas di-
ſtendant, & inflammari iterum cogant; hac
ergo uia in tractanda inflammatione, quæ à
fluxione fit, procedimus, reliquam uero, quæ
ab externa cauſa conflatur, & humectamus,
& calefacimus, &, ſi oportuerit, etiam ſcari-
ficamus, nam in hac ſanguis intruſus, quia
tenaciter eſt impactus in uacuitatibus ſenſibi
libus ex anatome, & raritatibus ratione com
prehenſibilibus partium carnoſarum, facilè
digeri non poteſt; ob id eſſe remedium opti-
mum ſemper iudicauimus quod ex hydre-
læo,

læo,& tritici farina paratur, item quod ex cor ticibus radicum altheæ,& eiusdem foliis,nec non humili, agrestiq; malua cum insulsa porci axungia conficitur; præter hæc sunt qui addunt farinam triticeam, oui uitellos, & croci momentum, ut adiuuent facultates, & dolorem leniendo sopiant. At ubi genitum fuerit pus (ita enim affectum abscessum uocamus) ut facilè ex sensu tactus discerni potest, aperimus, & pus euacuamus modo iam superiori enarrato, atque curamus. Reliquas autem differentias iuuamus, respicientes uarietates humorum. nam aliter curamus erisypelas, atque aliter œdema, necnon scirrhum; requirit autem erisypelas, quæ refrigerent cum humiditate, nec tamen astringant, cuiusmodi sunt semperuiuum, portulaca, psyllium, lenticula palustris, umbilicus ueneris, solanum, altercum, lactuca, & glaucium, & cerata ex aqua admodum frigida, inflammatione sedita antequam particula liueat ex hordei farina cataplasma imponimus. At si liuor occupauerit, cutem primo scarificamus, perfundentes locum, uel marina, uel muria, superponentesq; cataplasma; atque instituentes

tes in dies iuxta paſsionis formam medicamẽtorum facultates, curamus, & ad priſtinã ſalutẽ ægrotantem perducimus. Oedema uerò, cum ex pituitoſa ſubſtantia, ſeu fluxione fiat, tumor quidem laxus, cedens, & qui digitis impreſsis cauatur, curamus ſpongia ſuperpoſita oxycrato imbuta, & leniter ſtricta faſcia circumuoluta. At faſciæ initium ſumimus ab inferioribus partibus deſinentes progrediendo ad ſuperiores; unde ſi inueteratum fuerit, particulam oleo prius inungimus, deinde ſpongiam ex lixiuio imponimus, arctiusq; ſtringimus & ita ſanamus, ſcirrhum uerò non prorſum inſanabilem (quem exquiſitum medici appellant, ex quo nullus ſenſus partibus affectis ſuperſit) ſed quem non exquiſitum nominant, abigimus propellentes pharmacis digerentibus incraſſatum humorem; non tamen ualide, ac uniuerſim hoc agentibus, quòd, quæ ab extrahendo dicta ſunt epiſpaſtica, ſolent: ea enim primis diebus diminuere tumorem uidentur. Sed tamen quod reſtat, fit inſanabile, cum id omne, quod tenuium erat partium, ſit digeſtum. quo fit, ut medicamenta accommodatiora

ea inueniamus, quæ molliendo posint digerere, inter quæ ex uſu maximè nobis fuit, quod recipit diachylonem, urſi axungiam, muccillagines fœnugræci, lini ſeminis, radicum maluauiſci, ſeu altheæ, cum his nanque emollimus, & quandoque cum emplaſtro ex corticibus eiuſdem maluauiſci, & anſerũ, uel gallinarum adipe parato, poſtea ignito lapide pirite, quem marcheſitam uocamus, uel molare, & aceto perfuſo, uel poſca, partem inde mouemus, ut à uapore ſurſum elato ſcirrhus diſſolui poſsit; quod, cum non infœlici ſucceſſu experti fuimus in egregio uiro domino Franciſco Othelio, illum etenim, dum ſcirrhoſa duritie extorqueretur in parte ſiniſtra, & quidem domeſtica humeri, perbellè curauimus, & multos hac noſtra medendi forma, geminantes intentionem, uel utentes ſimplici intentione, ut cum emollimus, & diſsipamus, ſeu digerimus unà, uel emollimus ſimpliciter, & emollitam materiam poſtea digerimus, atque ſic demum curamus, at duplicamus neceſſario intentiones in complicatis affectibus, intendentes, & remittentes facultates pro dominii differentia, ut cum ſanguis

sanguis uicerit quantitate sua uel pituitam, uel bilem, uel sanguinis fœcem in mixtura, nos iuxta hanc humorum confusionem confundimus medicamenta; atque geminamus, ut cuique artis perito constat. Cæterum præter hos, ex alteratione præscriptorum humorum in alienas formas connumerari poterunt certi tumores geniti, qui ob excessum, & læsionem quam particulis inferunt, tumores nonnaturales etiam appellantur; ut sunt abscessus, carbunculi, cancri, gangrenæ, strumæ, uarices, ramicum genera, & certæ tuberculorum carnosorum differentiæ, quorum omnium per capita curationes tradenus.

Abscessus igitur, & si ex permutatione inflammationum oriri possint; de quibus satis superq; in curatione inflammationum diximus; tamen ex prima etiam sui generatione tales produci medicis in confesso est, cum per collectionem quorundam humorum, partes à subiectis corporibus abscesserint. At collecta sublunies in spatio diductorum corporũ, si diutius hæserit (et si raro incidant) uarias alterationes suscipiet; etenim inquit Gale-

nus cœno, & urinæ, & grumo, & ſucco melleo, & muccoſo, & oſsibus, & lapidibus, & callis obduratis, & unguibus, & pilis ſimilia corpora in abſceſsibus inueniuntur. Atqui non raro, & animantia in ipſis inuenta ſunt, omnibus ferè, quæ ex putredine ortum habent, ſimillima. Vnde ad curationes proſequendas cutem aperimus, & prædictas corporum alienationes euacuamus, abſtergentes partes abſceſſas mundificante aliquo, quale nobis in uſu ſæpe eſt, quod ex partibus duabus Baſilici tetrapharmaci, & una Aegyptiaci conficitur, & ſuperponimus exiccantia, et robur particulis inducentia, qualia ſunt barbara, chryſe, medicamentum Nicolai, item quod ex ſalicibus, quodque dictamo conſtat, atque alia his ſimilia.

Frequenter etiam incidunt abſceſſus, qui ob contentarum ſubſtantiarum in tumoribus proportiones, græcè ſortiuntur appellationes. Nam aliquando atheroma, ſteatoma, uel meliceris nominantur. Huic enim ueluti mel reperitur, illi ueluti ſeuum, reliquo quid pulticulæ ſimile, quæ ex farina cocta fit, et athera Græcis appellatur, unde athero-

ma dicimus; & quoniam plerunque continet hæc neruosa membrana marsupii modo, uidendum est quomodo quæq; horum substantiæ poterint euacuari. Cum in omnibus non eadem curãdi ratio reperiatur, etsi communis utrorunque existat, euacuatio scilicet contentæ substantiæ, quæ perficitur, uel appositis digerentibus, uel putrescentibus medicinis, uel adhibita chirurgia. At ex his sanè quidam digerentem, & si non semper, & putrescentem, & chirurgiam, reliqui chirurgiam duntaxat concedunt, cum ob succi crassitiem, nec digeri, nec putre reddi, quod in membranis continetur, possit. Vnde est, ut nos sæpe cutem superpositam marsupio neglecto ferri acie secemus in crucis formam; eamq; dirimentes ab eo, & à subiectis, quibus adhæret, ac eo amoto, suimus acu, & cruentorum modo sanamus. At quibus diuersa operãdi ratio debetur, in id plurimum studemus, ut eorum substantia uel digeratur, uel putrefiat. Cum his, etsi non omnes omnibus, reliqui quandoque cedant.

Carbunculos excitat sanguis efferuescens, & inflammationi propinquus, proinde, &

cum crusta fiunt, & bullæ ulcus præcedunt, quemadmodum in ambustis, caroque circumposita in feruidam inflammationem attollitur, & colore nigrescit, splendetq; bituminis, & picis modo, talis autem est bilis exacte atra. Curamus itaque hos carbunculos extracto prius per uenas sanguine ad animæ defectionem, postea scarificata circumposita carne altioribus plagis ob succi crassitiem. Demum particulæ laboranti inducimus quæ modicè reprimunt dissipantq;, & tale medicamentum existit, quod recipit æquales partes arnoglossi, lentium, panis furnacei, atque ita confectum oxymelle, coquimus. Probamus etiam in casu præsenti ex acido malo punico remedium, quod coquimus aceto, uel aqua acetosa, & ubi intabuerit, contundimus, linteoq; implicitum inducimus, & cum siccessit aceto humectamus, & sic curamus particulas inflammatione obsessas ambientes crustosum ulcus, de quo particularem sermonem agemus in tractatione de Vlceribus.

Cancros item tuemur appositis medicamentis frigidis & siccis, cum per emollien-

tia potius exasperari, quàm iuuari Galenus quinto de simplicibus cap. 8. scripserit. At inquit, quæ ab atrobilario succo duruerunt cancrosa sunt omnia, & ab emollientibus medicinis exasperantur. Cancros atrobilarius succus gignit, qui duplici modo oritur, uel enim (Paulo authore lib. 4. cap. de Elephantia) ex melancholico sanguine, fœculentioreq;, & ueluti eius limo, uel bile flaua, utrisque nimium ustis, nascitur, uerum inquit Galenus in libello de tumoribus præter naturam cap. 8. citra feruorem atra bilis cancros constituit, quæ si quidem mordax decubuerit in carnem circumpositam, cutem exulcerat, si uerò mitior extiterit, cancros citra ulcus inducit, quos Hippocrates latentes, seu occultos nominauit 6. particula aphorismorum, aphorismo 38. Cum dixit cancros occultos omnes melius est non curare, curati enim cito pereunt, non curati uerò longius tempus perdurant: Igitur in præcautione, ne ulterius progredi ualeant, cooperimus dolentes particulas uel plumbeo unguento, uel pompholygerato, uel phœnicino Galeni, plurimo rosaceo, remollito in plumbea

 pila

pila cochleario insuper plumbeo.

Gangrænas uero curamus euacuantes uulnificis plagis sanguinem à quo potissimum oriuntur, cum præ multitudine ipsius, alimento transitus occupatis meatibus minimè pateat. Vnde fit, ut particulæ celeriter emori cogantur, nam in ipsis collectus, & impactus sanguis usque adeo ut difflari non possit, & ab ambiente refrigerari, cum calidus, & humidus sit, & in loco calido, & humido coactus, facilè putrescit. Quod maximè contingere solet magnis in inflammationibus, immo Galenus dixit grangrænas sequi magnas inflammationes, quæ membri, (nondum tamen integræ factæ, aut confirmatæ) mortificationes sunt. Quibus mali tanta uis est, ac tyrannis, ut, si non celerrimè succurramus, promptè affectæ particulæ mortis habitum repræsentent, & omnino sensu, & motu destituantur, ita ut percussum, uel sectum, uel adustum non sentiant quæ patiuntur, quem affectum non iam amplius gangrænam, sed sphacelon græci nominant. Ne igitur particulæ afficiantur sphacelo, euacuamus sanguinem, ut supra, postea marina aqua uel mu-

ria

ria plagas exiccamus, ut ne consortii lege inuadat reliquas particulas mortis habitus, utimur etiam in magnis affectibus aqua forti, ut humiditatis corrumpentis superuacuitas absumatur. Cuius copia si ad manus haberi non poterit, eius uice immittimus Aegyptiacum cum argento sublimato, & sæpe, ubi ista cessarint, admouemus ignem, quod fecimus in nobili matrona Hortensia Manina, cuius anima fœliciter requiescat. In qua ob morbi extremas uires ignito ferro auxilium attulimus, præsentibus D. Paulo Regolino, & D. Nicolao Rorario doctissimis medicis. At in his, in quibus uires persistunt prosequimur exiccationem putredinis, quam cognoscimus ex inductis crustis, seu escharis. Nam caro illa mortua induratur usque adeo, ut coriis externis sole exiccatis sit assimilis, postea detrahimus escharas, aut pane ex hydrelæo decocto, aut tetrapharmaco, aut macedonico nominato, uel butyro, deinde aliorum ulcerum modo curationem adhibemus.

Strumas uero, quas græci chœradas uocant, curamus uel chirurgia, uel superpositis medicamentis. Sanè superponimus medica-

dicamenta, quando strumæ fuerint in corpore glanduloso aliquo, & non in glandulis simpliciter dictis. Nam iuxta Galenum 14. methodi glandulæ considerantur in duplici differentia. quasdam enim corpora glandulosa uocat, reliquas glandulas simpliciter. Et iuxta hanc diuisionem uariamus curationis intẽtiones; corpora igitur glandulosa, cum sint arteriosa & neruosa, atque plurimi momenti, ob usus quos animanti inferunt, ob id cum reliquis corporis partibus curationes earum administramus, nam illis optima inuenimus, quæ in scirrho affectis ostendimus, qua ratiõne, cum strumæ sint glãdularum in scirrhum affectus, nos eadem methodo ipsis succurrimus. Reliquis uero auxilium præstamus scalpello diuidentes cutem externam, quæ commune est tegumentum omnium partium, excoriantesq́;, & glandulas à subiectis corporibus cum scirrho dimouentes. Nam glandulas has cum parui usus sint, separamus facilè citra subiectorum sensibilem defectum, & cruentorum uulnerum modo curamus.

Curamus uero tumentes uenas, & dilatatas, (quas uarices uocamus) uel astringẽtium auxilio,

auxilio, uel ſcalpello. cum per aſtringentia curationem tentabimus, primo ſecta uena brachii, corpus a ſuperuacuis euacuamus, non neglecta altera etiam, quæ per pharmachum fit purgatione, poſtea dolenti particulæ ſuperponimus aliqua ex aſtringentibus, ut ſupprimendo ſalutem ægrotantis facilè redimere poſsimus. At ſi per hæc quandoque iuuari particulam non cognouerimus, tunc admouemus chirurgiam, proſequentes Pauli præceptum ſexto artis chirurgicæ cap. 82.

Repoſuimus inter tumentes affectus, et paſsiones quas ramices, et hernias quandoque appellamus, è quorum numero ſunt ſarcocele, hydrocele, epiplocele, enterocele, cirſocele, bubonocele. Nam cele apud antiquos tumorem ſignificat, ideo neceſſe eſt, et eorum curationes tradere; ſarcocele igitur cum carnoſus ramex exiſtat, ſolam chirurgiam expoſcit, cum curari per medicamenta non poſsit. oſcheon (ſcrotum latini dicunt) ferri acie, reſupinato ægrotante, aperimus, poſtea inuolucrum teſticuli diuidimus, atque ſic teſticulum extrahimus, ſecer-

nentes cremasterem à uasis, eaque constringentes, amputamus cremasterem neruum scilicet ex his, quibus partes genitales depēdent, et sic testiculum eiicimus, ceu alienū, atque artis peritia sanamus.

Aquosum ramicem, quem Græce hydrocele dicimus, curamus digerentes, uel admouentes chirurgiam, cum subluuies quædam sit otiosi humoris corporum scrotum implicantium; digerimus. n. uel apposito caprillo stercore cum oxycrato, uel inducentes cineres caulium brasicæ adipe suillo ueteri liquefacto exceptos, uel alio pacto, siluam. n. remediorum non est mihi intentio in hoc negocio afferre, satis enim uidetur si quædam duntaxat ad artis usum oportuna commemoremus, reliqua prætereuntes quæ multa numerari possent; Admouemus uero chirurgiam collocantes primo in sedili ægrotum. postea nouacula scrotum, et eius inuolucra diuidentes, et potissimum in ea parte, qua testiculo non adhærent, humorem euacuamus, atque sic demum chirurgica ratione curamus.

At contingit aliquando ut in scrotum, uel inguina

inguina inteſtina deuoluantur rupto, uel laxo peritonæo, qua eadem occaſione accidit etiã, ut omentum, græce epiploon dictum, deſcendat. Quum igitur ex peritonæi affectibus, hæ paſsiones humano corpori maxime contingant, neceſſe ſit, ut retrogreſsis inteſtinis, et omento ſalus reſtituatur, uel quorundam chirurgicorum induſtria, quos uulgus chilares uocat, quoniam in hac parte chirurgiæ propriè uerſentur, uel noſtra quæ fit ex ſuperpoſitis aſtringentibus, et ſiccantibus medicamentis, necnon ligaturis ad id commodis. Vocamus autem inteſtinorum deſcenſum in ſcrotum enterocelen, ramicem ſcilicet inteſtinalem. in inguina, bubonocelen, ramicem ſeu herniam inguinis. omenti uero deſcenſum, epiplocelen, ideſt omenti ramicem.

Quod ſi tumeant, et dilatentur uaricum modo, uaſa per quæ teſticuli nutriuntur, affectum talem cirſocelen, (quaſi uaricoſum ramicem diceres uocamus) è contra uero, uaſa dilatata in ſcroto, aut dartis membranis nominamus, nam hos affectus uarices ſim-

pliciter appellamus. cæterum ramicem curamus Pauli methodo, cuius modum tradit sexto libro cap. 64.

HIERONYMI CRASSI VTINENSIS DOCT. CHIRVRGI

DE SOLVTIONE CONTINVITATIS.



VMANI corporis partes quum ſoluãtur à naturali ſua unitate uel ſectæ, uel punctæ, uel contuſæ; atque id quidem, pro telorum differentia, et ictus forma; nos de his et quidem omnibus ſermonem aggreſſuri, eorum pariter curationes tra demus, ſed prius communem eiuſdem corporis diuiſionem præmittere iuxta anatomicorum partitionem, operæpretium putamus. Sanè obſeruauimus in Patauino gymnaſio, ſub doctiſsimo Præceptore noſtro Domino Gabriele Falloppio inſigni ætatis noſtræ anatomico, corpus humanum diuidi in quatuor partes ſummas, et maximas, in caput, Thoracem, Ventrem, et Artus, ſeu partes eminentes; uocauitque partes eminentes, quæ longius à medio homine deſcendunt, et quaſi ex trunco pendent, quales ulnæ, ma-

nus,

nus, brachia, cruraque et pedes sunt; supposita itaque hæc humani corporis partitione, non ignorandum est artis operationem maxime uariari; etsi enim scopus idem, ratione curandi in omnibus existit, unio scilicet partis solutæ, uniformiter tamen non fit ob prædictam partium differentiam, quæ res facilè ostendi potest sumpto initio à partibus eminentibus cæsim sauciatis, nam et has, ubi cæsim sauciatæ fuerint, adducimus diuersa auxiliorum ui, uel enim uinculo ex duobus initiis circundato. (uocant sic, ut Galenus ait, quoties tota pars media uinculi affecto loco incumbit) uel sutura, aut fibulis impositis, aut horum quibusdam, aut omnibus, quo facto postea reliquum naturæ opus permittimus, coalitum scilicet, secernentes tamen interim impigrè sordida, et tenuia excrementa intro positis communibus remediis, uel ad id paratis iuxta ueterum formam, non quidem prima die, sed septima resoluta, in omni nanque uulnere ex mutatione actionis naturæ duo semper oriuntur excrementa, alterum quidem tenue, quod sanies dicitur, alterum uero crassum, quod nuncupatur sor

des.

Cæterum in id plurimnm ſtudemus prima intentionis adminiſtratione, ut in ea parte qua cõuulſio prompte poteſt conflari (ea uerò eſt quæ ſentiendi prædita eſt acumine) acum minime properemus, etenim ex Hippocratis præcepto quinta aphoriſmorum particula conuulſionem eſſe lætalem ex uulnere habemus; quare nil mirum ſi idem author in calce citatæ particulæ huiuſcemodi uulnera praua appellat, dum dixit. Si in uulneribus fortibus et prauis tumor non appareat, ingens malum, intelligens ſanè de his uulneribus (ut Galenus ait in commento), quæ ſunt in capitibus, aut finibus muſculorum, et maximè neruoſorum, ob id igitur nos capita et fines quibus chordæ ſeu tendones oriuntur præſcriptorum muſculorum, acu minimè pungimus, nec non, et geniculatas particulas eodem artis præcepto tuemur, cum ſauciatæ ex ſuturis prompte conuelli poſſent, Qua ergo ratione diceret quis in talibus adducendis diductis labiis inſtituenda eſt curatio? cum per acum habenam trahentem ex ſerico filo, uel ex materia alia non putreſcibili, qualis ea eſt, quæ ex gracilibns chordis fit,

fit moliri curationem ipsam periculosum sit? ea certè quæ minime dolorifica sit, quam uinculo ex duobus initiis circundato parari diximus, At hæc uinculi circumuolutio his tantum conueniens est remedium, quibus os uulneris, non transuersim, et ascialis modo, sed in obliquum uel rectum spectauerit. Quid tum, et si obstent, quominus committamus quasdam partes diductas à suprascriptis remediis, uulneris forma scilicet, et partium sensus acumen. Nihilominus Ars excogitauit et aliud instrumenti genus, quo facilè extrema transuersi uulneris adducimus, quale est, quod sæpe conficimus ex sarcocolla, mastiche, et oui albumine, atque ita paratis duobus linteis excipimus, et utrinque secundum hoc exemplum accommodamus: Esto itaque inter duo transuersa lintea orificium uulneris, & linteorum, alterum B. alterum C. supponatur, tūc nos acu lintea suimus, & sic diductas partes secundum alterum exemplum adducimus. Sed petat adhuc quispiam, cur neglecta sit forma ascialis? nos profectò alia ratione de asciali figura sermonem

non

non fecimus, quia, cum egeat carnis restitu tione, non uidentur nobis posse citra aliquem sensibilem partium defectum committi diducta, Gal. enim ubi 3. methodi abunde docet cauitatem uulnerũ primo noua carne repleri debere, postea cicatrice, dixit super-induci, non autem extrema committi. Si igitur carnis defectu, et partium distantia impossibile sit coire prædicti uulneris labia, succedit, ut hac de causa, tardior hæc sit curatio reliquis uulneribus, ut et Celsus tradidit, cum dixit, pessimaque plaga in orbem est, tutissima quæ lineæ modo recta est. His igitur rationibns examinandas neruosas particulas relinquemus, sumpto initio ab his partibus; quæ et si enarratis continuæ sint, tamen in hoc inter se differunt, quia cũ carnosiores existant, sensus etiam hebetiores fiunt, et rarò ægrotantes conuellunt; unde has sauciatas cæsim, committimus (extimata uulneris forma) uel fasciis, uel suturis, uel fibulis. Cũ antea non leue periculum imminere ex partis sensus præstantia seu acumine; si his modis eius diducta in idem adducere tentaremus. Nunc uerò quia tali negocio non ege-

mus, et fuimus, et faciis ligamus, cũ per hæc diducta ex ſolutione facilè in unũ coeant; ſed quoniam in hac adminiſtratione, aliqui inconſideratè admodum ſuunt, et quidem cum partis turpitudine, et eiuſdem uitio, propterea conſideratione maximè dignum eſſe duximus, ut et hanc partis chirurgicæ rationem oſtenderemus. Ideo in omni ſolutione unitatis factæ cæſim, animaduertendum hodiernis chirurgicis cenſuerim, ut in conſutione primam ſuturam in medio extremorum iuxta rectam menſurationem conficiant, et penetrent iuxta uulneris profunditatem, ne relicta cauitate in fundo diductorum, pars fluxionibus noxiis repleatur, et ob id dolore afficiatur. Præterea reliquas ſuturas proſequantur inter ſe diſtantes unius digiti ſpatio uel duorum ad ſummum, parte decliui parato efflu xionũ emiſſario. Cæterum ſi adſit et fractura oſsis, complicatusq; morbus exiſtet, propulſatò, ſi opportuerit, manibus communi noſtro exemplo, altero oſsis extremorum in ſedem propriam, ſupraſcriptis remediis ſolutionem unitatis carnoſæ partis coæquabimus, cum quibus ſic inſtitutis, multos ſanabimus

remediis etiam ad id ſuperpoſitis, de quibus ex ordine in præſentia dicturi ſumus, ut in poſterum ex antedictis adminiſtrationibus, et conſequentibus medicinis, ægrotantibus ſanitas reſarciri facilè poſsit. Sequēs igitur ratio, quæ de medicinis cognoſcendis, et inſtituenda obſeruatione applicationis determinat, hoc pacto ordietur. Prima igitur acceſsione noſtra ſuperponimus uice platiſmatis albumen oui concuſſum, et ſtuppa molli, uel bombice exceptum, atque ubi neceſſe etiam ſit, ut gratia emiſſarii intromittamus cuneolum linteum, illum immittimus, et faſciis poſtea circuimus, et ſic ligamus. Si uero ex hac medicamenti formula, difficile nobis eſt compeſcere eruptionem ſanguinis, tunc albumen inſpiſſamus impoſito medicamento ex aloe, et manna, et leporis pilis. Poſtero uero die capita uaſorum ſi quæ fuerint, ſolutis primis medicamentis, cooperimus aloe, et manna, atque poſtea ſolutionis orificium lenimus linteo filis excerpto ex reſina terebenthina, uel hypericonis oleo, et ungimus. Præterea circumiacentes particulas roſaceo, ex oleo crudo (quod omphacinum appellant) citra

ſalis admiſtionem confecto nempe roſis quã-plurimis in eo maceratis,et ſuperpoſito duplicato, triplicatoue linteo faſcia orbiculatim circũdata iterum ligamus,uel ſic aſſumimus, et maxime ad neuroticota, hoc eſt ad neruorum uulnera, calcem uidelicet ſæpe lotam ad ſolem diebus canicularibus, ac reſiccatam plurimo roſaceo dilutam, uel pompholigem eodem modo lotam, ac præparatam, atque his tepidis utimur, ne frigiditate ſua, calore ue nimio conuulſionem inducerent; Frigidum enim inquit Hippocrates in aphoriſmis inimicum neruis, et calidum, item, ait, ubi quis eo ſæpius utatur affert neruorum incontinentiam. Fiunt enim hi, ut inquit Galenus in commento, imbecilles, eorum ſubſtantia à calore diſſoluta. At et uulnera reſpiciens Celſus dixit, uulnera infeſtant, et nimius calor,et nimium frigus. Tertio uero die abiectis ſordidis medicamentis ſaniem abſtergimus lana molli ſpecillo obuoluta, et ne arida lana uulnus contingat, ſapa imbuimus, et ea expreſſa uulnus detergimus, curamusque iiſdem medicamentis, atque linteis poſtmodum faſciis, ut diximus, ligamus, et hac ue-

terum

terum methodo procedimus (nisi metus conuulsionis aliquis præsens fuerit) integro resoluto septimo. Nã eo tẽpore suturas secamus et inglutinatum uulnus relinquimus cum aliquando ex retento sanguine concreto, inflammatio facilè excitari posit; cuius occasione sæpe conuulsio fit, quare uulnus, suadet Celsus, primo purgandum, ne quid ibi concreti sanguinis relinquatur, id enim et in pus uertitur, et inflammationem mouet, et glutinari uulnus prohibet. Postea uero abstergimus bombice ut supra, et linteis ex suprascriptis medicamentis cauitatem uniuersam implemus, affundentes calidum oleum inguinibus, spinæ, axillæ, collo, ac capiti, et ubi adhuc non quieuerit, tunc neruum, musculumue præcidimus, et sic curamus, tradit enim idem author musculum si læsus uidebitur, præcidendum esse, cum percussus mortiferus sit, præcisus sanitatem recipiat. At nono die incœpto, soluto optimo rosaceo isis, uel macherionis emplastro utimur linteolis illito, cum recentibus uulneribus auxilientur, ut quæ carne destituta reficiant, repleantque. Ad eundem usum habemus, et Aegyptium

gyptium, & piſcatoris fuluum eodem met roſaceo diluta, & linamentis indita, Forinſecus platiſma nobis ex uſu eſt, quod diapalma Galeno appellatur, uel eius quod ex lithargiro & oxelæo par atur, triapharmacum medicis hodie nominatum, uel eius quod ex ſandyce conſtat, communiter de minio dictum. Cæterum diuerſa ratione Iuniores chirurgi adminiſtrant curationes, uel enim ſecundo die aſſumunt reſinam terebenthinam, ut & nos diximus, eaque utuntur ſimplici. tertio addentes oui uitellum infuſo roſaceo oleo, & ubi eo tranſacto, etiam abſtergere uolunt adiicientes mellis roſacei colati portiunculam, atque huiuſcemodi confectis utuntur, uocantque ea digeſtiua unguenta, et mundificantia, ſin autem ſolutioni et oſsis fractura acceſſerit, complicatusque morbus fuerit, tunc quidē cōpellendum, ut diximus, in ſedem propriam os ipſum, quod commodè fit primo ſtatim die antequàm inflammatione occupetur, aut nono inflammatione iam finita; Præterea hamulis, ſuturisque utimur, & remedio cruentis apto his medemur, ſic ut oſsicula refracta, ut ueriſimile eſt,

&

& pungentia, implentiaue primum auferámus: At ut ossa fracta hinc inde non moueantur, molimur tractationem hoc pacto, primo splenia linea, ad membri latera accommodamus, et superpositis ferulis, neglecto spatio uulneris, duabus fasciis ligamus, altera supra, altera infra, uulneri postea præstamus curationem ut supra, & tertia fascia circunuoluta ligamus. At nervea pars ubi punctim sauciata fuerit ob sensum quo prædita est, & quia principio cohæret, facile parit dolorem, & inflãmationem uehementissimam, unde cogimur uti his quæ tepidam caliditatem habeãt, ualdè uero siccent, atque hoc citra molestiã, & quæ substantia tenuissima prædita sunt, huiuscemodi enim sola sine partium distensione, ac mordacitate saniem ex alto euocare possunt, sicuti terebenhina, quæ per se in pueris, mulieribus, et aliis qui molli sunt carne auxilio est, in cæteris uero cum euphorbio. Assumimus ergo terebenthinam neque frigidam, neque egelidam admodum, & linteis excipimus, & puncturæ leniter immittimus, irroramus præterea totum membrum oleo subtili, quod astrictionis sit expers, et ad sensum

ad exteriora ſine dolore, & anguſtia, neceſſe ſit ut cutis aperiatur, & indita terebenthina curationem cum ſupraſcriptis proſequamur. Atque orta inflammatione cum dolore uehementi farinam erui, aut fabarum cum optima ſapa, modico aceto addito, coctam imponimus, et ubi putruerit pars affecta, ex relatis uitiis, ſuccurremus cataplaſmate ex ordeacea farina uel fabacea ſtillatitio lixiuio & mulſo aceto confecto. Reliquas autem ſolutiones unitatis quæ uentri accidunt, curamus intellectis una et internis particulis. Nã contingit aliquando uentrem ſeu abdomen uulnerari uſq; adeo, ut ſuccus ex uentriculo euacuetur, ex inteſtinis ſtercus, interim et epiploon ſeu omentum dictum, uel inteſtinum procidat. Ideo neceſſe ut examini et horum uitia ſubiiciamus, cum et ipſa ſolutiones promptè patiantur. Quemadmodum ubi ſtercus, ut diximus, per uulnus excernitur, inteſtinorum alicui uulnus eſſe illatum haud dubium eſt: ſic etiam cum cibus egreditur, in uentriculo uulnus eſſe manifeſtum eſt, & eodem modo ſi omentum, aut inteſtinorum aliquod excidere per uulnus uideatur, peri-

tonæũ discissum esse nemo ambigere debet. cum itaque hæ partes uulnerentur, res ipsa postulat, ut cœpto iam ordine & earum curationes monstremus. Sauciato ergo abdomine si intestina euoluuntur, protinus consideramus si integra ea, & sui coloris sunt, præterea si soluta unitio ubique præstari possit, scripsit Galenus sexta particula aphorismorum commento. 18. in uesica quidem confessum tale uulnus non coalescere, sicuti, & in parte septi neruosa & in tenuibus intestinis, imino sexto methodi inquit ieiunum intestinum esse omnino incurabile, tum propter magnitudinem, multitudinemque uasorum, tum quòd tunica eius neruosa, prætenuisque sit, adde quòd tum bilem syncerам hoc intestinum recipit uniuersam, tum quòd omnium maximè est uicinum iecinori, & his dictis reliquorum internorum curationes difficiles atque tutiores subiungit, & sermoni finem facit.

Nos autem institutum prosequentes, eorum omnium quorum fiducia aliqua sanationis fuerit, curationes in communi properemus, ideo uulneratum crassum aliquod intestinum

ſtinum ſuimus, & molli ſpongia ex tepida aqua flatus diſcutimus (nam inquit Celſus, momento alienatur externo, & inſueto ſpiritu circundata;) uel ut faciliori negocio in pro priam ſedem recondi poſsint, at & orificium uulneris digitis aliquantiſper dilatamus, extenſis in latus diductis partibus, poſtea immit timus. At ſi præ inflatione adhuc exiſtente reponi non poterint, incidemus peritonæi tantulum ſyringotomis (ſic enim uocamus in ſtrumenta quibus fiſtulas incidimus) quantũ ei quod excidit reponendo fuerit ſatis; Mani bus poſtea et denuo diducimus orificium, & inteſtina per ordinem prolapſa condimus, ſic ut orbium ſingulorum locum ſeruent. Repo ſitis omnibus leniter hominem concutimus. Quo fit ut per ſe ſingula inteſtina in ſuas ſedes diducantur, & inibi concidant. his conditis omentum quoque conſideramus, ex quo, ſi quid iam nigri, & emortui eſt, forcipe excin dimus, & id quidem non inconſultè, cum dicat Hippocrates ſexta particula aphoriſmorum aphoriſmo 58. ſi omentum excidat, neceſſariò putreſcit; & Poeta Ouidius quid agendum in præſeruatione ſanæ partis oſten-

 dat

ſus. Aſtricto, & optime cum abdomine alligato peritonæo per has ſuturas, ſupra relatis ſubinde in uulnere cæſim facto remediis utimur, atque poſtea iubemus, ut laboranti ſitus talis ſit, ut, quæ uulnerata pars eſt, ſubli miorem ſemper locum obtineat, cauendum nanque magnopere eſſe inquit Galenus ne id quod exciderit degrauetur quicquam ab inteſtinis aliis. his ergo ita intellectis, supereſt modo ut thoracis uulnus ſermoni addamus, confoſſo igitur thorace ſi unà, et internum aliquod uiſcus affectum fuerit, utemur ſubito remediis ad id commodis, ne uulnus ſua grauitate ægrotantem facile interimat, nam ex ictu pulmonis, inquit Celſus, ſpirandi difficultas eſt, ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga rubens, ſimulque etiam ſpiritus cum ſono fertur, in uulnus inclinari iuuat, quidam ſine ratione conſurgunt. multi ſi in ipſum uulnus inclinati ſunt, loquuntur; ſi in aliam partem obmuteſcunt. At & corde percuſſo, ſanguis, idem autor ait, multus effertur, uenæ langueſcunt, color pallidiſsimus, ſudores frigidi, maliq́ue odoris, tanquàm in rotato corpore oriuntur, extremiſq́ue parti-
bus

bus frigidis, matura mors sequitur. At & scri
psit Galenus de corde uulnerato his uerbis;
Si ad uentrem cordis, præcipueq; sinistrum,
aliquando penetrauerit uulnus, protinus
cum multo sanguine uitam exhalabit animal;
Si uero non ad uentrem usque pertingat, sed
in cordis substantia consistat uulnus, ex ita
affectis aliqui non solum ea die qua uulnera-
ti fuerunt, sed sequenti quoque nocte potue-
runt uiuere, qui oborta deinde inflammatio-
ne fuerunt extincti, unde si pulmo affectus nõ
in medio sui, sed in aliqua extima parte uul-
neratus existat, & si curatio eius difficilis ad-
modum sit ob ipsius continuam agitationem,
tamen hac parte uulnus existens sanauimus,
uincientes sæpe eius brachia atque crura, &
sanguine per uenas detracto, & interposita
silentio uocis exercitatione, quibus omnibus
administratis, & ex sequentibus medicinis su
perpositis fœlix sequuta est, Dei benignita-
te adiuuante, sanitatis palma. Sequentia nobis
medicamenta sunt ueluti relata in curatione
partis cæsim solutæ, quæ ex simplici concusso
oui albumine fiunt in prima curatione, at cir-
ca uulnus partes lenimus rosaceo cerato, uel
embrocis

embrocis ex bolo armenia, terra sigillata, & rosaceo oleo confectis, postea superposito linteo duplicato fascia ligamus. His peractis poscam tum dilutam, tum tepidam potui offerimus, quo si quis in uiscere cruor concretus latitet solutus expuatur. Sequenti uero die intromisso cuneolo lineo ex terebenthina resina, iisdem iterū lenimus superposito uice platismatis linteo, et fascia ligato, atque tertio idem facimus. Quarto autem, si concretionis sanguinis metus non fuerit, agglutinemus sarcoticis enarratis ex iisde largo rosaceo soluto, & similibus superposito platismate diachalciteo. Capiti uero, si uulnus accesserit, curandi rationes instituemus medicamentisq; repurgantibus, ac incarnantibus cephalicis dictis; nam etsi corpori uniuerso conueniat, quia tamen maximè capitis uulneribus incarnandis prosunt, ob id cephalicorum, hoc est capitalium, nomen sibi sortita sunt. Quæ autem sint ea, expositis primo differentiis capitis, & eiusdem partibus, postea enodentur. differunt inter se capita, & quidem merito, cum & Hippocrates libro de uulneribus capitis: his uerbis ostendat. Nam homi

num


coronalis, & recta sunt in opposito prioris formæ litteræ ⊥, & tamen similes, reliquæ autem, & ultimæ figuræ in omnibus structura est diuersa; nam cum neutra parte promineat præsens differentia, sed in medio aucta turbinataque sit suturæ, X. Græce literæ fiunt persimiles; At uero quæ a media sutura æquidistant, & ad utranque aurem constitutæ, secundum capitis longitudinem differuntur rectè, squammosæ agglutinationes uocantur, quum non hic, ut in suturis, ossa se se mutuo ingrediantur, sed extenuata in subtiles quasdam squammas ad maiorem firmitudinem earum partium, supra ossa descendentia applicentur. Si ergo uariis his formis & structura hac diuersa suturarum distinguantur inter se se hominū capita, fit ut ex situ locorum diuerso differant & eorum partes, ut capitis pars anterior capillos habentis sinciput, qua coronalis sutura sita est, uocetur, posterior pars occiput nominetur, latera sincipitis tempora appellentur, quod in medio capite est, ubi capilli maximè inuoluuntur, uerticis uocabulo gaudeat, sub sincipite pars posita frons dicatur; Nam pro

partium differentia oritur, ut in sauciacis hæc magis illa minus periculo afficiatur, cum huic non multa caro, non crassum os, sed cerebrum multum subsit, illi caro ampla crassumque os, non multum cerebrum, atque & illi similiter, uel è contra. Vnde Hippocrates in libro de uulneribus capitis dixit, cerebrũ enim, & citissime, & maxime iuxta sinciput sentit mala, quæ & in carne, & in osse fiunt. sub tenuissimo enim osse, ac modica carne cerebrum est hac parte, & plurimum cerebrum sub sincipite est, et paulo infra. Omni uerò capitis osse robustius est os uerticis, & quod est retro aures robustius quam totum, quod in anteriore parte est, & carnem ampliorem ac profundiorem in se ipso hoc os habet, & sequẽs sermonis ordinem causas tutioris, & magis periculosi uulneris iuxta enarratas partes ostendit. Cæterum ne in his conteramus tempus ad curationes accedemus, Igitur sauciato in quauis parte capite, exceptis his quibus mandibulares musculi extant in quibus eadem cum reliquis neruosis particulis curatio existit, cognoscimus has partes uulneratas ex motu inferioris genæ. si itaque

quæuis diuortio affecta curationem exposcat, id ante oculos consulendum semper proposui mus, utrum membranula os ambiens læsa sit nec ne, si læsam, atque ex transuerso sectam reperiemus, num & os simul confractum sit considerabimus. At accidit ut sæpe præcisa cute, cũ membranula, os unà non sit scissum, & tamen ex raritate ossis per poros exudet sanguis, qui sua quantitate quibusdam negotium exhibet nescientibus in meditullio pro nutritione ossis exiguas quasdam uenas reperiri, quod nobis facile constat ex medicorum scriptis, & maximè Hippocratis in libro de uulneribus capitis, cum ait. Sunt etiam in osse uenulæ tenuiores, ac cauiores sanguine plenæ. Et Celsus senis authoritatem confirmans, loquens de capitis ossibus, dixit interque ea uenæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est, unde & si sanguinis hæc appareat exudatio, nihilhominus facta experientia ex sensu tactus, consideratione que accidentium, nos supra relatis ex fibulis uel suturis eius diductas partes simul adducimus, & oui albumine stuppis excepto solutionem cooperimus, & linteali fascia, liga-

his, quæ mista facultate ſint, quæ concoquant, digerant, & modice aſtringant. & nobis ex uſu ſæpe eſt talia adhibere. Cumque & ſimul cum iis contuſa fuerit cutis, emplaſtrum ex fabarum farina, & oxymelite, & ubi dolor adfuerit, picem quoque liquidam miſcemus. At ſi paſsio euenerit citra cutis affectionem, oleo calente aliquo ſæpiſsime perfundemus, ueluti eo cui coctum ſit anethum, uel ruta, atque ſic uniuerſas curationes ſingulis particulis adminiſtramus, fœlicem cuique, Duce Deo, ægrotanti ſanitatem reſtituentes.

HIERONYMI CRASSI VTINENSIS DOCT. CHIRVRGI
DE VLCERIBVS.



OLVTIO unitatis, quæ fit ex saniosa rupta uomica, uel alienato uulnere cruento in pus, uel principali suo ortu ex succo praui cuiusdam humoris, ut biliosi cuiuspiam, aut melancholici, aut aliter utcunque uirulenti, ac uitiosi, qui ex maiori corruptione ortum habuerit, communiter chirurgicis ulcus appellatur. Nam cum recens adhuc solutio est, nec sanie, sed sanguine madent & solutionis latera, & lintea, quæ curationis gratia intromituntur, gaudet tunc ea quidem non ulceris nomine sed cruenti uulneris; Quod Auicenna quarto canone fen 4. tractatu tertio capite primo his uerbis nobis insinuat. Et solutio inquit ille, continuitatis in carne, quando facit saniem, & pus, nominatur ulcus, in cuius sententiam, & hodiernos medicos habemus. Quod si cuipiã uideatur Gal. sæpe ulceris & uulneris nomina

curationes trademus, iuxta effectus, quos quælibet ulcerum proprietas ostenderit, ut si cauum fuerit ulcus, quod curandum proponetur, curationem auspicabimur à carnis regeneratione, seu restitutione, modo non repugnet contrarium præsens aliquod; cui primo necessario insistendum sit, ueluti quando particulæ laborantis intemperies aliqua regenerationem deperditæ carnis intercipit; nam tunc primo attendimus intemperiei, contrariis eam qualitatibus dimouentes; postea ulceri, & quidem hac principali nobis inhærente intentione, ut semper exiccemus; cum ulcus omne exiccari postulet ex præcepto Galeni. 3. methodi, præterquàm si contusum extiterit, ut paulo infra ostendetur ex mente Hippocratis, ubi locum nos adducemus, qui est in libro de uulneribus capitis, ubi dixit. Necesse est enim carnes cõtusas, ac concisas pus fieri, ac consumi. At cum exiccamus non eodem utimur medicamento, cũ non omni naturæ eadem medicamenta conueniant, debiliori nanque molliorique molliora, ualidiori ualidiora sunt adhibenda. Quare si duo sint æquali humiditate ulcera prædi-

ta, illud quidem quod in ficciori temperatura sit, maiorem reficcationem postulat. Alterũ quod in humidiore est, minore reficcatione opus habet, quanto scilicet hæc natura alia humidior existit. Igitur ubi pristina caro ficcior fuerit; ibi noua quoque superueniens ficcior fieri debet, Atque sic profectò is recta uia procedet medendi, qui ægri naturam probe cõsiderauerit, neque huic difficile erit dignoscere quo medicamento ulcus egeat. Ideo si ulcus cauum mediocriter fuerit, in prima eius carnis regeneratione duo necessario infestant excrementa, tenue uidelicet, & crassum; quibus humidum, & sordidum ulcus redditur; ob id medicamen conueniens præsto sit oportet ad hoc, ut caro gignatur; geminæ facultatis, exiccantis scilicet & abstergentis, exiccari enim postulat humidum, sordidum uero abstergi, cuiusmodi sunt lachryma thuris, farina hordei, fabarum, & erui, iris, aristolochia, cadmia, panax, & pompholyx, atque similia, quæ ubi non profecerint ad creandam carnem (ut si sordium maior copia ulcusq; humidius reperiatur) tũc ex eo quod minus quàm oportuit deficcauit

uit medicamentum, admiscebimus illi tantum mellis quantum intensioni fuerit satis. At si ab huiuscemodi mixtura purum ulcus se obiecerit, ut nulla humiditas exinde appareat, tunc quia magis exiccauisse medicamen uidebimus, olei & cerati mistione idipsum molliemus. At fit quandoque ut ex uehementia medicamenti maior copia sordium & humiditatis oriatur, haud certe sine iactura ægrotantis aliqua; ueluti dolore, & inflammatione, & carnis sensibili colliquatione. At in eo in quo medicamētum minus exiccat, nihil tale euenit. At qui si cauitas ulceris talis sit, ut nullum præscriptorum medicamentorum permeet fundum, atque ad cauitatem deferatur, utemur emplastris his, quæ ad macherionem, & epigonum referuntur, quæque à uiridi colore chlora appellantur; solutis uidelicet iuxta cauitatem rosaceo oleo, uel sub emmotorum, uel liquidiori forma, quorum misturas,& uires Galenus 2. de compositione medicamentorum per genera exacte persequitur. Intromittimus & hæc eadem medicamenta maligno ulceri (quod cacoethe uocamus) cui os ex diuturnitate corruptum ab-

ſceſit, ut reſtituant carnem deperditam, poſsitque poſtea ſuperinduci cicatrix; quæ neceſſario caua fit oſſe abſcedente, ut & Hippocrati placuit ſexta particula Aphoriſmorum aph. 45. ubi dixit. Vlcera quæcunque annua ſunt, aut etiam diuturniora, os abſcedere eſt neceſſarium, & cicatrices cauas fieri. Nam ſi os ueluti caro poſſet reintegrari, dubio procul caua non fieret, repleta ad unguē ulceris cauitate, ſed quia nō regignitur, (ut & idē autor oſtendit citata particula aph. 19. his uerbis, Cū diſciſsū fuerit os neq; augetur, neque coaleſcit. quod & repetit 7. parti. aph. 28. ubi ait. Quando os abſcinditur in corpore nō augetur) ob id caua cicatrix neceſſario efficitur, cui nos poſtea illinimus liquidum medicamentum ſplenio latiore facto, quale eſt quod phoenicinum uocamus. aut aliquod ſimile ſolutum optimo roſaceo, modo durities aliqua, circa uicinas particulas ulceri nō appareat, tunc enim diſſoluimus oleo antiquo, aut cicinino. Adhibemus etiam ſuperiori regioni aliquod ex his quod repellendi ui præditum ſit, poſtea linteali faſcia circuimus, atque ligamus. & ubi adhuc calli ratione inhibetur

hibetur cauitas ut carne noua repleri non possit., tunc ea occasione ad alterum duorum accedemus, nempe uel ad labiorum præcisionem, quæ chirurgia fit ex admoto acuto aliquo ferro, uel ad eorundem putrefactionem cum aliquo ex his, quæ ut caustica, hoc est urentia, ignis instar corpus colliquent; & sæpe escharas ritu cauterii inducant, qualia sunt argentum sublimatum, auripigmentum (quod arsenicum uocant) sandaracha hodiernum præcipitatum, & similia multa. Reliquas præterea particulas illinemus defensiuo unguento, ut ne aucto calore à uehementia medicinæ adhibitæ, dolor, & inflammatio oriatur. Facta uero adustione, seu putrefactione, utimur pane ex hydrelæo decocto, uel tetrapharmaco, & macedonico nominato, quæ omnia crustarum suppurationibus, atque earum excidentiis accommodatissima sunt, & quæcunque uim habent perducendi ad suppurationem. & ubi detractæ fuerint crustæ, atque purum redditum à superuacuis colliquationibus ulcus sit, eius cauitati immittimus aliquod ex relatis uiridibus emplastris largo rosaceo liquatis, ut carnem deperditã

regi-

regignat, & ſuperpoſito ex chalcitide parato plaſmate, affectam particulam linteis faſciis ligamus. Nam ulcus callo obduratum exiſtens in angulo ſiniſtro oculi matronæ Blanchæ filiæ Illuſtris Comitis Vallis Mareni, Venetæ Reip. Ductoris eximii, uxoris Vicardi Colloretani nobiliſsimi, ſanauimus, hoc pacto, primo enim intromiſſa ſphærula lintea ſpecillo leuiter compulſa cauitatem repleuimus præcipitato puluere, & demum ſuperinduximus ſplenium ex unguento defenſiuo. Atqui ſi durities fuerit in labiis ulceris, ob ſucci craſsitiẽ, ueluti orta ex atra bile quæ (ut aiunt medici) craſsiſsima exiſtit, tunc à ſupra relatis admotis medicamentis irritaretur, ac, ut dici ſolet, efferaretur, uſque adeo, ut facilè ægrotantem ad interitum perduceret. Ideo ab his abſtineant, qui præſens ulcus tractare ſtuduerint (malum enim inquit Paulus Aegineta 4. libro ob atræ bilis craſsitiem non conſaneſcit) ſiquis enim utatur emollitione, exaſperat, Galeno teſte. 5. de ſimplici medicina in calce ferè. 8. capitis, quod, & idem committit ſuperpoſita uehementia medicinæ, ut & idem autor. 14. methodi

thodi capite. 9. igitur propter hæc quæ uiribus quidem sunt mediocria, qualitate uero minimè mordentia, eiusmodi affectibus præseruandis nimirum (nam quis curationem eorum speret?) sunt idonea, ob id nos utimur unguento ex pompholyge, uel eo quod ex plumbo usto paratur, uel præsenti quod & recipit plũbi usti, uerbasci, (tapsum barbatũ uocamus) thuris singulorum unciam, cerusæ uncias. iii. ceræ, olei rosacei, singulorum uncias vi. Succi fructus solatri q. s. At & succus per se bombice exceptus ulceri auxilio est, atque & plumbum ustum ablutum, necnon elota pompholix præstantissima medicamenta existunt, ut pote, quæ simplicia ulcera citra morsum deficent, nec immerito dixit ea Galenus ad ulcera cancrosa idonea esse, & ad alia omnia maligna. Cæterum si non duricies, sed inflammatio quæpiam ex acrium quorundam humorum calidorum defluxu ulceris labia infestauerit, tunc sublato eius defluxu, inchoabimus particulæ affectæ curationem particularem ab his, quæ contraria facultate operationeuè idonea sunt, antedictam flammeam dispositionem, seu intemperiem

riem imprimis ſubmouentes, cuius quidem ordinis ea eſſe didicimus, quæ ex plumbo uſto, quæque ex pompholyge diximus conſtare, necnon & reliqua, ut quæ & conferant ad implenda ulcera, eademque cicatrice obducenda. Id & proponitur, cui ex ſuperpoſita uarice, fit curatio difficilis, nam primo uaricem ſanamus, cuius chirurgiam tradit Pau. Aegineta 6. libro cap. 82. ut mox deinde ulcus ſanemus. Quod fecimus in Franciſco Romano Sellario noſtro, ubi ex orta uarice ulcus ſupra malleolum cruris ſiniſtri haud potuimus ſanare, neglecta uaricis curatione (quæ ut ait Galenus uena dilatata exiſtit). At manu iuxta Aeginetæ conſilium uarici admotâ, & curata, tunc quidem & ulcus impigre ſuperpoſito emplaſtro ex ſandice curauimus. Recipit autem emplaſtrum hoc ſecundum Aetium ſandicis lib. i. olei dulcis lib. ii. Coquito, inquit, donec non amplius inquinant, & utere confidenter. Quum uerò carnis intemperies ulceri orta ſquallens, ſiccaque fuerit, aqua temperata locum fouebimus, quo particula affecta rubore, tumoreque attollatur, & quando humidior, quã

pro naturali

pro naturali habitu sese habere debeat, caro fuerit, erit ratio ineunda contraria; & facultas medicamentorum transferenda ad siccius, aqua uerò nullatenus admouenda, sed si lauandum ulcus uidetur, uinum aut posca, aut decoctum austeræ cuiuspiam herbæ præparandum, eodem modo, ut & calidiorem quam par est carnis habitum refrigeremus, & frigidiorem calefaciamus. Quod si caro ulceris putrens erodat adeo uicinas partes serpendo ut singulas in consortium trahat, id præstemus, ut quàmcitissimè caro illa absumatur à uehementissimis medicamentis, ueluti & ab Hippocrate præceptum est primo aphorismorum aph. 6. ubi inquit. Extremis morbis extrema exquisitè remedia optima esse. Quod etiam esse faciendum monet Galenus 5. methodi capite 15. ubi sic scriptum reliquit. Minime igitur (sicuti nonnulli medicorum censent) à paruis incipiendum auxiliis est, nec, sicuti illi dicunt, sentiendum, ista scilicet prius esse tentanda, mox, si nihil profecerint, aggredienda maiora, nam in morbis, in quibus periculum non impendet, uera ea opinio est. At ubi moriendum ægro prorsus

ſus eſt ſiphthoe ſemel exceptus ſit, alieniſsimum à ratione eſt à minoribus inchoaſſe. Nam ſicuti reliqua omnia ab Hippocrate tradita, ita illa quoque ſententia rectè eſt dicta. Nempè ad ultimos morbus ultima prorſus remedia maximè ualere. Hæc ille. Ideo ſi ratio dictat, ut morbo, ob tirannidem uiolentiæ medicamentorum, reſiſtamus, erit neceſſe inueſtigare hæc eadem ipſa, ad hoc ut proſequi non deſiſtamus nobis propoſita; ſunt enim ueluti hæc, quæ & Galenus annotauit 2. ad Glauconem, miſy inquam, chalcitis, arſenicum, calx, atque ſandaracha, & ſimilia. Præterea ægyptiacum unguentum, apoſtolorum, aqua argentariorum, & multa alia, quæ ubi ceſſerint, admouemus ignem, exiccata poſtea, & in totum abſumpta putredine, cruſtas detrahemus ſuperpoſitis relaxātibus nominatis; his peractis carne noua cauitatem ulceris replebimus, & ubi aucta iam fuerit ut cicatrix ſuperinduci poſsit, eam cicatrice demum cooperiemus. At uero ſi non tanta putredine ulcus affectum fuerit, ut his egeat, ſed cum hac ſint uermes non pauci, exiccata humiditate putredinali, uermes ne-

cabimus

cabimus ſicca plantagine, ligni ficulnei cinere, calaminthæ ſucco aſsidue inſtillato. commendat uerò Archigenes, ut inquit Paulus Aegineta lib. 4. capite 42. ceruſam, poliūque pari modo cum pice liquida illitum. Quidam pro ceruſa non inconſultè abſinthium ſcribunt. expurgato ab huiuſcemodi ſordibus ulcere, indito aliquo medicamento, ut reliqua ſimplicia curationes molimur. Quod ſi ex ulceris cauitate effluet ueluti uirus, difficulterq́ue ob hanc cauſam ſanitatem recipiat, caroq́ue illi inſita mollis, atque friabilis ſit, id operæpretium putamus, ut dirimamus à ſubiecto oſſe mollem carnem (ſi ſubtū os fuerit) quoniam dubium non fortaſſe exiſtit ex oſsis uitio hæc contigiſſe, quod ſanè nos ſæpe experientia cognouimus. Nam caro illa mollis, ut plurimum ſupra os extenſa, uitia eius occultat, & perito medico dat, ut cum Poeta in buccolicis carminibus dicat,

Latet anguis in herba.

Si ergo ex his dictis periculum erit de oſsis corruptione, explorare tutum primo fuerit ſtilo oſsis ſedem, nam eo ductu, facilè poterimus eius uel uitium, uel firmitudinem,

 ſani-

ſanitatemque conſequi, & ubi inuenerimus os infirmum ex adhæſu ingreſſus ſtili, nouacula aperiemus, & oſsis uitium tollemus ſcalpello adunco, radentes corruptum ad ſanam uſque partem, uel urentes ignito ferro, perueniendo ad ultimum corruptionis, ut cadãt (ut Auicenna ait) cortices corrupti, & remaneat ſanum. Poſtea ubi hoc præſtiterimus, os nudum ueſtiemus noua carne arido ſuper poſito medicamento, cephalico appellato, & quando in carnis hac productione, pus apparuerit, optimum ſcilicet tunc ex hoc ſignum habebimus ſalutis proximæ, ueluti & nos docuit Celſus 5. lib. his uerbis. Pus exit ex ulcere iam ad ſanitatem ſpectante, quod & Galenus tradidit. 5. aphoriſmorum commento. 22. ubi ait. Maximum igitur ſignum ulceri ad ſecuritatem eſt pus. Porro ſi in hac occaſione caro ſuperexcreſcet admodum, ut depreſſione opus habeat, eam deprimemus medicamentis ualenter ſiccantibus, ut apoſtolorum dicto, uel iſide emplaſtro. Nam inquit Pau. Aegineta. 4. libro, Iſis ſumme carnem ſupercreſcentem in ulceribus continet, & ubi horum copia ad manus non fuerit, utemur

ærugine, facta postea proportione, ut astricta carne medicamentis possit superinduci cicatrix cuti æqualis, ut scilicet excessu non emineat, nec defectu caua fiat, unde exiccamus (si oportuerit), astringimusq; uehementer, ut non modo in hac perficienda cicatrice solum id quod superfluum est consumamus, sed naturalem quoque humorem attingamus, quam rem præstant galla omphacitis, malicorium, spinæ ægiptiæ fructus, & quæ citra mordacitatem uehementer astringunt, qualis est myrtus inter cætera, teste Aetio, & cadmia, & plumbum, singula usta, & lota, citra mordacitatem siccant, & ad cicatricem perducunt. Atqui Galeno autore cicatrix est ueluti caro in callum durata, quæ prioris cutis supplet officio, atque ei quamsimillima fit, cutis tamen reuera non est, quod facile intelligitur ex eo quod pilos non edit. Hæc pro hac præsenti tractatione sufficiant, ne scribendo alio genere utamur, quàm quo usi in superioribus tractatibus sumus, quibus ea quæ ad artem tradendam pertinent, breuiter complexi sumus. Nam quantum potui studui prolixitatis in scrib ẽdo calumniam euitare,

re,

re, neque tamen breuitatem ſequutus, ita me breuem fuiſſe cenſeo, ut cuiquam obſcuritas ſuboriri ex tali ſcribendi modo, aliqua poſsit.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

char. 7. b.	lin. 8.	affectum	effectum
15. b.	2.	hæc	hac
16. b.	9.	à ſupraſcriptis	cum ſupraſcriptis
20. b.	17.	medimentum	medicamentum
24. a.	17.	conueniat,	conueniant,
25. b.	1.	ſautiacis	ſauciatis

INTER OMNES